Bieżanowski Stanisl. – Epicitharisma Ioanni Cynerski Rachtamovio decantatum.

EPICITHARISMA

Excelleń: & Adm. Rńdo Dńo,

M. IOANNI CYNERSKI RACHTAMOVIO,

Collegæ Maiori, S. Th. Baccalaureo, ad S. Flor. Canonico,

Solenni apparatu

Primam Theologicę Professionis Cathedram ingredienti,

debitæ obseruantiæ nomine,

A

STANISLAO BIEZANOWSKI Leopol. Artium & Philosophiæ Baccalaureo,

tanquam Patrono & Mæcenati suo amplissimo

DECANTATVM.

Anno Domini, 1647. die 5. Februarij.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij.

S. Isidorus Iunior, Episc. Hispalen. lib : 3. de Summo bono, cap : 8.

GEminum confert donum lectio Sacrarum Scripturarum: siue quia intellectum mentis erudit, siue quod à mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. Accensis enim in amore Sapientiæ, tantò vana spes mortalitatis huius nobis vilescit, quantò amplius legendo spes æterna claruerit.

AD

Adm. Rńdum Dńum.

M. IOANNEM CYNERSKI

RACHTAMOVIVM,

Collegam Maiorem, ad S. FLORIANI
Canonicum

SCAZON.

DIlecte Musis, Præsidiq́ue Cyrrhæo,
Ocelle Craciæ Camænæ, & excelsum
Decus venustatum omnium, leporumq́;
O flos & auspex grandium Poëtarum,
O Cygne candidissime, ô Caballini
Fõtis CYNERSKI laus, iubarq́; præcla-
Salue, Deus quem Cynthius lyræ cultor (rum,
Vulgi à profanis cætibus procul duxit,
Feliciori vt Ordini reseruaret.
O debitum cælo caput, beatumq́ue!
O erudita, casta, blanda, facunda,
Et sæculo super futura longæuo

Suadæ medulla, digna barbito Phæbi
Et eruditæ antiquitatis applausu.
Vos vos lepores, vos amænitatesq́;
Suaues, disertæ, candidæ, venustæque
Saluete : Palladis propago Diuina
Germenq́ue Maximi Tonantis ac proles.
En iam corona gloriæ, en laborumq́ue
Merces trecentorum parata splendescit
Arcana cæli continens, fideiq́ue
Quæ debitum vobis refundet vbertim
Honoris inclyti decus, iubar clarum
Famæ, diuturnumq́; nominis pignus.
Ergo sacratæ dum refers facultatis
Partes profundas & reconditas leges:
Mysteriorum & dum intonas melos iucundum
Oracla reddens, quæ Tibi nouenarum
Chorus Dearum contulit, triumphali
Quando Coronâ ornatus ad lares Phæbi
Victor redibas, pallidamq́; Pirenen.
Præclare Mystes ros tibi Pelasgorum
Ex ore manat aureo, perennisq́ue
Scientiarum multiformium fama,
Cùm per sacratas Mysticæ dapes mensæ
Afflatus aura charitatis æternæ,
Cæli beatam portiunculam pandis.
Admitte Musas & lyram triumphantem,
Admitte vocem dedicatam, & effusum
Tui clientis gaudium, serenumq́ue

Vultum

Vultum canenti oſtende barbito. ô priſcæ
Luſtrator artis, quâ per omne doctorum
Agmen, fauentes prouidus rapis Muſas.
Midæque gazas vincis, & Polycratis,
Stupenda fortunæ potentis exempla.
Inculta fundo carminella nunc, tanquam
Incultus, infans, infimus Poëtarum:
Poſtquam tamen furor ſacer Camænarum
Pectus meum compleuerit, triumphabo!
Tibique Vati, vindicique Muſarum
Serum licet, ſerenus accinam carmen.

EPICITHARISMA.

ODE Tric: Tetraſt.

QVisquis feroci mentis anhelitu
Venale honori proſtituit caput;
Et merce turpi nundinando
Impoſuit diadema fronti
Errat: ſuperbus namque furor perit,
Rarò perennat purpureus decor
Quem grando gemmarum, & refuſi
Per populos dedit imber auri.
Dos ipſa virtus eſt ſibi maxima,
Non poſcit vllos nominis ambitus,
Longumque durat, ſola victrix
Inuidiæ, immemoriſque fati.

Crescit merendo, nec titulos sibi
Aptat supremos: quam tamen aureum
Circumdat agmen vltrò honorum
Et liquidi sine nube Soles.

O ille felix ter quater amplius,
Cuius modesto gloria vertici
Offertur vltrò, non roganti
Munera nec sua venditanti.

Felix laborum quem manet optima
Merces, tropheis maior Olympicis,
Et sera quamuis, sed serena,
Dulce lucrum emeritæ Camænæ.

Et Tu CYNERSKI iam satis & super,
Vltràque sueti pulueris orbitam
Sudore certasti beato
Non humiles iterando curas.

Ad vsque partam nomine gloriam
Virtus per omnes emicuit gradus;
Latè refudisti laborum
Agmina, peruigilesq́ue Lunas.

Nam litterato nobilis otio
Per Graia raptus compita, Pegasi
Fontes bibisti: seu quod olim
Socratici monuêre cætus:

Seu quod perenni nunc geminat potens
Stagyra circo, digeris arbiter
Immotus innixusq; semper
Ipse Tibi, patiensq́ue curæ.

Scit

Scit totus orbis Sarmatici poli,
Nomenq́ue clarum carmine perſonat:
Tu Neſtor alter, cum diſertus
Attonito loqueris Lycæo.
In te refulget gloria Tullij,
Facunda Magni & lingua Demoſthenis,
Dulceſq́ue vagitus ab ipſis
Crederis edidiciſſe Muſis.
Miramur omnes ingenium ſagax,
Multoq́ue fætum numine cernimus
Pectus, redundanteſq́ue melle
Carminis eloquijq́; fontes.
Fertur canorâ Threijcius lyrâ
Vates, ruentes fluminis impetus,
Celſoſq́ue montes, arboreſque,
Ad numeros docuiſſe certos
Saltare: ſic tu leniter aureæ
Torrente linguæ cuncta trahis, potens
E valle permeſsi vagantem
Pegaſon, alipedemq́ue ſacris
Frænare dictis: ô ſapientiæ
Secretioris perpetuum decus
CYNERSKI, & omnis puritatis
Cyclica norma, Deiq́ue Myſtes.
Eia tenaces ſufficiunt Tibi
Curæ: futuri gloria temporis
Iam iam parata eſt, & coronas
Artibus ingenioque dignas

Dona-

Donabit ætas: nunc tamen optimam
Effudit orbis Sarmaticus Tibi
Honoris almi lauream, quæ
Nestoream superat senectam.
Conscendis altæ namq; Scientiæ
Suprema tandem pulpita, siderum
Ædes beatas, & corusci
Præueheris vaga regna Phæbi.
O Te beatum, dum super æthera,
Sacra ad Tonantis limina Maximi
Multos per anfractus, serenâ
Mente volas, fruerisq; cælo.
Tecum supellex maxima gloriæ,
Tecum sacratæ munera gratiæ,
Fascesque, laurique, & repente
Aurea prosiluêre sæcla.
Figas trophæum magnificentiùs
Cunctis triumphis, namque adamantino
Thorace vinces puritatis,
Luctificas fidei Megæras.
Deuota sacris pectora cædibus,
Instructa technis agmina bellicis,
Fraudes Lutheri, Caluinique
Herculeâ superabis arte.
I nunc, facesse hinc bellua multiceps,
Antique serpens, bulla superbiæ,
Mendaciorum dux, parensque,
Hæresis, & scelerum Magistra.

Per

Per quam solutis legibus amnium ad
Instar vagatur prona licentia,
Vrbesque, gentesque, & potentes
Flagitijs populi redundant.
Quæ cuncta misces pessimè, & inuides
Bonum benignis, quæ tenebris diem
Offundis, & mentes inescas
Delicijs fugientis æui.
Præstans CYNERSCI Te sapientia
Caliginosis compedibus dabit,
Victamque prosternet, relinquens
Perpetuis tenebris sepultam.
Non iam venenum sensibus ingeres
Blandum, sed ingens in barathrum rues,
Ferale monstrum dissidentum,
Ludibrium furiarum & Orci.
Ast Tu CYNERSKI non sine plausibus
Victor redibis, maior Apolline
Et dum triumphabis sub astris,
Sæcla fluent meliora nobis.

VOTVM
Almæ Academiæ,
ODE
Dicolos Tetraſtroph.

Ela doctorum Cynoſura ſalue
OCYNERSKI; quem grauiore plectro
Perſonat Phœbus, ſociatq; nexis
Serta trophæis.

Prima natales ego cuius auras
Atq; vagitus teneros notaui,
Auſa materno tenuiſſe ſinu
Dulcè canentem.

Auream cuius tenui iuuentam,
Ingenî vires, animiq; motus,
Et nouos mentis radios, amica
Munera Phœbo.

Cui decus lauri, comiteſq; Muſas,
Atq; de baccis Phrygijs coronas
Contuli, & ſacri decus omne Pindi
Lege perenni.

O vir

O vir alternis geminate votis,
Hippocreneis celebrate riuis,
Perge facundâ resonare lingua-
- Arcana fidei.
Namq́ distillant Tibi labra dulci
Melle, dum gazam reseras beati
Pectoris, fundens fluuios scatentes
Dogmate sancto.
Quidquid in votis poteras habere
Reddidi totum, solij altioris
Iam tenes culmen, medio laborum
Pulcher in axe.
Viue longæuos numerando menses,
Viue felicem Pylij senectam;
Laus Camenarum superes trecentos
Nestoris annos.
Sic Tibi cælum, lepidoq́ Soles
Rideant vultu, geminentq́ sæcla,
Plenus vt laudis repetas superni
Limina Olympi.

Admodum Reuerẽdus Dominus

M. IOANNES CYNERSCIVS RACHTAMOVIVS,

Anagramma purum.

Musarum es mens, charus amicis, in ore diserto iucundus. Tu ergo adde omina.

INtima *Musarum es mens* & flos clare CYNERSKI
Qui potes Aonijs ſaxa mouere modis.
Pierides ſacris Te nutriuêre ſub antris
In Te Caſtaliæ depluit imber aquæ.
Omnibus es gratus, ſincerus, *charus amicis*
Fixiſti telis pectora cuncta tuis.
Nec mirum: cùm ſis IVCVNDVS IN ORE DISERTO,
Namq́ue Tuo lateri eſt mellea Suada comes.
Felix carpe viam noſtræ quæ dogmata vitæ
Pandit, & immenſi maxima dona Dei.
Tempus erit quo Tu ſublimis culmen honoris
Conſcendes, votis grandior ipſe Tuis.

OMINA

OMINA TV ERGO Tibi, & faustos simul ADDE triumphos,
Materies studijs aptior ista sacris,
Hac iter ad celsi felicia culmina Olympi,
Hæc erit ingenio digna Palæstra Tuo.
Nam nisi per magnos quæratur fama labores,
Omnis in ardentes est abitura rogos.
Scilicet ista viris sapientibus vltima meta est
Vt volitent populi docta per ora sui.
Hæc cole; sed nostras etiam non sperne Camænas,
Postremus quarum sum quoque alumnus ego.

EPIGRAMMA.

CEdant Sarmatici, cedant miràcla Trionis,
Quotquot erant priscis maxima temporibus:
Garrula posteritas quotquot celebrabit honores,
Laudibus immodicis quotquot ad astra feret.
Quis credet posthac? gelidæ sub tempora brumæ,
Frigore cùm sæuo terra perusta riget.
Mellitum volitasse gregem per Palladis arua,
Et stillasse fauos nectare dulcifluo.
Quis nam credet? apes facundi labra CYNERSCI
Inhabitasse, pias cùm reseraret opes.

 Ast

Ast hæc vera manent, toto plaudente Senatu
Dum tonat & sacrum fundit ab ore melos.
O miraclûm ingens, ô Suadæ gratia cultæ,
O quam prudenter mellificatis apes.
Iungite vota viri, ac mecum celebrate CYNERSCI
Diuitis eloquij nectar & ambrosiam.

ANTISTPEΦON
Zoilo.

Perpetuæ tibi sint laudes, non spicula, nobis
Pectora, quàm vultum, si magè præstiteris.

IN STEMMA.
Almæ Academiæ Cracouień.



I Pete Caſtalios fontes, Parnaſſia rura
Quiſquis Apollineo geſtis adeſſe choro.
I pete; ſed Cracias moneo ne deſpice Muſas
Aut ſi conſilium percupis, ecce dabo.
Hic vbi Sarmatici veneramur Sceptra Lycæi
Mellifluos amnes fundere Apollo ſolet.
Ergo nectareâ perfundi ſi cupis vndâ
Sceptra dabũt nectar, nectare Sceptra fluent.

Sub fælicibus auspiciis

Magnifici & Adm. Rndi. Dni,

D. IACOBI VITELLII,

S. Th. Doctoris & Professoris,

Decani Ecclesiæ Coll: S. Floriani,

Prouisoris Nowodworsciani,

Almæ Vniuersitatis Cracouieñ.

Generalis vigilantisimique

RECTORIS.

11